quasi indicaret eos esse fures: et longo tempore velut alienum
a fratribus se abscondit, et celavit. Item beatus Paulus
simulavit legalia: quando purificavit se in templo. Nec ab
Augustino contra sententiam Hieronymi reprehenditur Petrus ad
Galathas scribendo, ubi et Barnabas et alii leguntur consensisse
simulationi Petri, non quia solum simulaverit: sed quod gentes cogeret
suo exemplo ad iudaizandum: post sufficientem declarationem fidei
iam in concilio Hierosolimitano factam. Praeterea Abraam
Genesis xii° laudatur, quod dixit uxorem suam esse sororem suam:
ne sciretur esse sua uxor, utendo verbo generali. Nam apud
Hebreos propinqui sanguinis, dicebantur fratres: et mulieres
propinque sanguinis, dicebantur sorores. Insuper potest
allegari historia Chusi et Achitofel: ubi Chusi pro
liberatione David, simulavit se fore amicum Absalonis:
quemadmodum antea fuerat patris David. Vide textum.
Item ipse David simulavit se stultum esse, et spumas
emittentem coram rege Achis. Similiter dum iret ad
bellum contra filios Israel simulabat se velle eos destruere.
Praeterea est nota historia de insidiis Iosue. Item est
nota historia Iehu regis Israel: qui congregavit falsos
prophetas simulando se velle facere sacrificium Baal
eos occidit. Vide decimum capitulum quarti libri regum. Et
certum est dictum Hieronymi dicentis, quod laudabilis fuit
simulatio Iehu supranominati: et quod talis simulatio utiliter
aliquando est assumenda. Laudatur etiam sanctus Sebastianus
quod sub chlamide occultaverit se christianum. Nec vituperatur
Nicodemus, quod occultus esset discipulus Christi propter
metum iudeorum.

Secundum dictum est, quod pro utilitate, et bono, mendacium
licet non sit licitum, tamen non est peccatum mortale.
Laudatur enim Iudith in toto processu contento in libro